Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36549
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

94

est mirabilius. quod unus homo et illo tempore contemptibi
lis et in tantum vilis. ut postea crucifigeretur. scri
bis et pharisaeis contra se saevientibus. et videntibus lucra
sua destrui. potuerit ad unius flagelli verbera
tantam eicere multitudinem. mensasque subvertere
et cathedras confringere . et talia facere quae infi
nitus non fecisset exercitus. Igneum enim quiddam atque si
dereum radiabat ex oculis eius. et divinitatis maies
tas lucebat in facie. Cumque manum non audeant ini
cere sacerdotes. tamen opera calumniantur. et testimo
nium populi atque puerorum qui clamabant. Osanna filio
david vertunt in calumniam. quod videlicet non dicatur nisi
soli filio dei. Videant ergo episcopi et quamlibet sancti homi
nes cum quanto periculo dici ista patiantur sibi. si
domino cui vere hoc dicebatur quia necdum erat so
lida credentium fides pro crimine impingitur.
Ille autem dicit illis. Utique. numquam legistis quia ex ore
infantium et lactentium perfecisti laudem. Quam mode
rate sententiam temperat. et responsio in utrumque ver
gens et calumniae non patens. Non dixit quod scribae audi
re cupiebant bene faciunt pueri ut mihi testimo
nium perhibeant. nec rursum. errant pueri senes debetis
aetati ignoscere. sed profert exemplum de VIII. psal
mo. ut tacente domino testimonium scripturarum
puerorum dicta firmaret. Et relictis illis abiit
foras extra civitatem in bethaniam ibique mansit.
Reliquit incredulos et urbem egressus contra di
centium venit in bethaniam. quod interpretatur domus obedi